Hanicki Joan. Stanisl: Hyacinthia seu Sacra amoris et venerationis dei divinissimo Hyacintho dedicata –

HYACINTHIA

SEV

Sacra Amoris & Venerationis.

DIE

DIVINISSIMO HYACINTHO

CLARISSIMI ac EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. M. HYACINTHI ŁOPACKI

Philoſophiæ ac Inclitæ Facultatis Medicæ
In Alma Vniverſitate Cracovienſi
DOCTORIS & PROFESSORIS
Eiuſdēq; & Nobilis ac Spectabilis Magiſtratus Crac:
SENIORIS PATRIS
TVTELARI EXIMIO
DEDICATA.

Ingenio non otiosi Amoris
VIRTVTIBVS ERVDITIONE & DIGNITATE
CLARISSIMI Dñi DOCTORIS
Non ſimulatas Perſonas agentibus.

Ã

IOANNE STANISLAO HANICKI
Jurisprudentiæ in Alma Vniverſ: Crac: Aud:
EXHIBITA.

Anno quo DEUS Homo Olympia Salutis humanæ excitavit 169[illegible].
Menſe Auguſto.

CRACOVIÆ Typ: Nicolai Alexandri Schedel S. R. M. Ord: Typ:

Ouid: l. 10, Met: Non genuisse pudet Sparten Hyacinthon: Honorq;
Durat in hoc: celebrandaq; more Priorum
Annua prælata redeunt HYACINTHIA pompâ.

Lemma Vtrinq; salus,



Vtrūq; pericu-la solvit
Anonymus

Hyacinthia Sacra in Honorem Hyacinthi â Lacedemoniis inuenta.

ANCHORA FLOS FRACTÆ MEDICINA SALVTIS: VTRVMq;
ELEGIT PIETAS HIS COMES ESSE CRVCE
ERGO TVTA SALVS LECHEÆ PRINCIPIS VRBIS
INTRAVIT PORTAM CVM TE HYACINTHE DVCE

Vestra Clarissimæ ac Excellentissimæ Dominationis
Humile mancipium
ANTONIUS ŁOPACKI

HVc Eruditi pectinis Arbiter
Accede DOCTO Pieridum choro
Stipatus: explica sagaci.
Mentis Acu tenuiq; sensu
Vides vt ALES fulminis artifex
Rigoris augur Symbola gloriæ &
Securitatis pertinaci
Vngve premit recolitq; FLORAM.
An jam severi probra supercili?
Ministrans ALES ac adamantinæ
Abiecit instrumenta frontis
Esse IOVEM referens serenum:
Sic quando fervens edomitâ LEO
Mansvescit ita; protinus Indole
Nocente mutata, per omnes
Innocuus patitur videri
DIXI; per VRBEM testis hiat Tuba
Honoris alti Pieridum cohors
Et NOMEN & FACES Avitas.
Ingenuo veneratur ORE;
Impune posthac pulchra vocabula
Damnare falsi; Nomina criminis;
Vetabo; tantundem laborant.
Quantum adamant precium decori:
Feliciori flore repullulet
Quod sanitas: Quod tuta salus foro:
STEMMA hoc notat. CONFORME REBVS
NOMEN habes HYACINTHE DOCTOR.
Hæc jam securum NOBILIS ANCHORA
Littus momordit; consilij tenax
Immista CRVX vibrat medendi
Floriferas HYACINTHVS artes.

Sed quid venustas FLORIS opes loquar?
Aut colorem Stemmatis aut situm:
Lustrare prodest; quando DIVES
Amplificat DECORA ampla VIRTVS.

Hæc sola laudum Materiam gravem
Scripsisse novit, sola sui faber
Æternitatis & decori
Lumina defuerint CATONES.

Sat ille plenis laudibus eminet
Testata Virtus: Sydere prospero
Cui contigit nasci & SENATVS
Elogium cumulasse CRACI

Non Te sinistra luce præiverat
Saturnus atrox; non socialium
Aspectus Astrorum malignis
Exposuit radijs timendum:

Sed luce casta ducis originem
Genusq; claras; dotibus ingenî
Natura si negâsset istud
Proveheres genesim talentis.

Quid illa vultu compta modestia?
Inspersa crini nix supereminens
Hic gratiæ lenes in ORE
In Studium populi refusæ.

Natura movit brachia celsiùs
Purusq; candor pectora possidet
In fronte Maiestas Theatrum
Sensibus explicuit honestis:

Est & frequenter fallere nescia
Augusta moles Corporis: Aurei
Index honoris sæpe vultus,
Frons, animi genium, revelat.

Quæ autem profundo dogmata pectore
Fixêre sedem; Palladis atria
Sensusq; vivaces loqvuntur
Nutibus ingenij subacti.

Hæc

Hæc quæ Creatrix ê medijs dabat
NATVRA Rerum. viſceribus celer
Exhauſit Indoles ad vſum.
Magnanimæ documenta mentis.
Quod ſi GALENI LAVREA TANGITVR
Aſſurge Terris; tot Tibi plauſibus
Propendet æther; Quot Trophæa
E Lacheſis tumulo excitaſti.
Eviſceratur grata CRACOVIA
Vt TE capaci parturiat ſinu
Quod artis inſtinctu negatis
Fata vijs repetant ſepulchra;
COMMVNITATIS gloria publicæ
DOCTOR peritus: Sancta beatitas
Spreviſſe quid funeſta cornix
Quid Geneſis rudimenta ſignent.
Sed dum TOGATÆ dona SCIENTIÆ
Evoluo lætus. CONSVS adeſt propè
Compendioſè hic conglobatæ.
Explicuit monumenta laudis.
Nulli capaci pectore limites
Hærere poſſunt. Omnibus omnià
Mens magna ſit. prodeſſe paucis
Viribus exiguis relictum.
Hic præſtat VRBI; ſed ſimul eſt CRACI
VIVAX SENATVS norma QVIRITIVM
Cui Conſilî nervoſa VIRTVS
EtPIETAS dedit eſſe PRIMVM.
Leges amoris PRÆSES in abdito
Hic Subditorum pectore ſuſtinet
Blandiſq; nutibus ſequaces
Sponte trahit retrahitq; CIVES
Poſt tot laborum munia CONSVL eſt
Rurſumq; rurſum ſe ſibi calculo
Virtus probavit ſcire tanta
Eximio moderanda clauo.

Hæc promovebat, buxus APOLLINIS
Et FAMA nutrix NOMINIS INCLYTI
Hæc barbitis crebro per Auras
Aonidum resonabat Agmen.
Congratulatæ passibus arduis
Hæsisse pulchros pignora. FILIOS
PARENTE tanto non minorem
PROGENIE recreatur ÆTAS.
AVDITA NARRO: non mihi suppetit
Vis excollendi NOMINIS. ars fugit
Et DOCTIORES cor in almos
Explicuit sua Vota PLAVSVS.
I, PERGE, quo TE fausta necessitas
Invitat: VRBS HÆC Sat præit OMINA
VNITA VIRTVS EST TALENTIS
Nihil prohibet SVPERARE MAGNOS

APPLAVSVS MAGNO NOMINI

EXIMII DOCTORIS

CLARISSIMO

Illustres Titulos & Nomina Magna mereris
Moribus Ingenio suppeditante facis
Cur autem Nobis DOCTOR Clarissimus Audis
PHÆBVS nempe TVAS stat Vigil ante FORES

DOMINO

Sensit ARISTOTELES, Naturæ lege vocandum;
In DOMINI Titulum cui juge dogma Sapit;
Quando TV tantis, animi ditare talentis,
Ius verum DOMINI; competit ergo TIBI

HIA-

HYACINTHO

Aspirant Zephiri: rident vernantia dona
Purpureas reserat, FLOS HYACINTHVS opes.
Vivere mens vrget, stillat Medicamina FLORA
Flagrat odor suavis: num cui sordet humus.

ŁOPACKI.

Numquid Es ingressus Neptuni Regna Tridentis
ANCHORA quod GENERI figitur alta TVO
Est Mare VITA HOMINIS superata pericula gaude
Littus amat tutum Hæc ANCORA nempe CRUCEM.

MEDICÆ FACVLTATIS

SENIORI PATRI

Moribus Es SENIOR quos gestas CONSVLE dignos
Fascibus effloret CANA SENECTA CRACI
Et MEDICINALIS fulget SENIORE FACVLTAS
Es fateor SENIOR sed simul ARTE NOVVS.
Esse NOVVM solidis evecta SCIENTIA narrat
Inventis loquitur pro SENIORE LABOR.

EMERITISSIMO CRACOVIENSI

CONSVLI

TVRRIBVS in pansis venerdus constitit ALES
Interpres Fausti Syderis atq; IOVIS
Pompa quid hæc tandem num Lumina Cæli
PRÆSIDES ad plausum convocat ille SVI
Quid quid id est hilares constat Se spectasse Titanes
Supremo CRACI Te Moderante POLO

Imprimatur Permiſſu
PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIMI
D. M. MARTINI WINKLER
Canonici Cathedralis Cracovienſis Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Collegæ Maioris eiuſdemq; Senioris Patris &c. &c.

